

1154. VII, 12-2 — Carta pela qual o arcebispo de Braga confirmou uma doação do seu antecessor, em que fora feita mercê à Ordem do Templo de umas casas, e acrescentou mais metade dos dízimos das feiras da mesma cidade de Braga. 1145. Agosto. — *Pergaminho. Bom estado.*

*In nomine patris et filii et Spiritus Sancti amen.*

*Quamquam christiane religionis multa sint studia quibus eterna promerereri (sic) posse creditur vita percipuum tamen est pietatis officium quod ad ejusdem vite potest perducere questum militibus Christi prebere solacium quod non solum procura*tioni pauperum verum etiam protectioni proderit christianorum dicente autem Evangelio quod uni ex ministris meis fecistis mihi fecistis ipse sibi procul dubio debitorem eterne remunerationis christum constituit qui minimis ejus solacia necessitatis pie impartit. Obinde Ego Bracarensis Johannes archiepiscopus simul et bracharensie ecclesie clerus una cum regis portugalensis Aldefonsi consensu kartam testamenti facimus militibus Templi de Jerusalem de illa domo quam predecessor noster bone memorie donus Pelagius archiepiscopus in Bracara jussit fieri in et servicio Dei preparari.**

*Damus vobis illam domum atque concedimus cum omnibus suis pertinencias quas nunc habet vel a modo ei obvenerint jure perpetuo possidentem. Concedimus etiam vobis medietatem omnium decimarum nostrarum de omnibus redditibus nostris et de feriis quos habemus sive infra civitatem sive extra si qua igitur a modo ecclesiastica secularis ue persona scripti hujus paginam sciens contra eam venire temptaverit et eam in aliquo minuere fraudare vel eciam disturbare voluerit secundo tercione communita si non congrua emendatione satisfecerit perpetue excommunicationi subdatur et duo auri talenta domino patrie reddere cogatur et quantum auferre voluerit in quadruplo resolvat et Kartula ista senper in robore sue permaneat quam ego Johannes archiepiscopus et Bracarae ecclesie clerus qui eam facere jussimus spontanea voluntate roboramus et sigillo confirmamus.*

*Era M<sup>a</sup> C<sup>a</sup> lxxx iiij mense Augusto. Regnante Portugalie domno Alfonso comitis Henrici et regine Tharasie filio et gratuito animo scriptum istud roborante atque confirmante*

Petrus condam Bracare prior tunc Portugalie electus	confirmat
Gomizo Suerii arqdiaconus agens vicem prioris	confirmat
Menendus Remiri archidiaconus	confirmat
Petrus Odorii archidiaconus	conf/rmat
Mito Bracare ecclesie precentor	confirmat
Ermigius archidiaconus	confirmat
Menendus Godini archidiaconus	confirmat
Petrus Roxius archidiaconus	confirmat

Godinius presbiter notuit

(A. E.)